

## Franckesche Stiftungen zu Halle

### Rector Academiae Lipsiensis, Ad Festivitatem Paschalem, In Templo Pavlino Celebrandam, Lectores Benevolos Et Gratiosos Officiose Ac Peramanter Invitat

Schede, Andreas Martin

[Leipzig], [1716?]

VD18 90816765

#### Abschnitt

---

##### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

##### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200469



Inter summa fidei Christianæ capita, quæ fidelibus memoria fideque constanti tenenda atque ruminanda sunt, CHRISTI est RESVRRECTIO. Doctor gentium & legatus DEI D. Paulus, ideo Timotheo suo fidelissimo  
 2. Tim, II, 8. *omni tempore* reminiscenciam ejus enixe commendavit: *Memento, JESVM CHRISTVM RESVSCITATVM FVISSE EX MORTVIS, ex semine Davidis, secundum Evangelium meum.* Hanc enim, qui non tenet aut negat, ne nomine quidem Christiani dignus censendus est; quia fundamentum fidei salutis  
 1. Cor. XV, 17. *feræ subruit.* Quod si Christus (scribit idem ad Corinthios) *non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris.* Etenim Christus traditus fuit (in mortem) propter delicta nostra, & RESVRREXIT AD NOSTRAM JUSTIFICATIONEM.

De Christi passione ac morte ejusque causa ac fine, per elapsam quadragesimale tempus, Ecclesia abunde hactenus docuit. Gloriosa nunc CHRISTI RESVRRECTIO succedit,

cedit, qua ejusdem veritatem, finem & fructus grata & devota  
 memoria recolere debemus. CHRISTVS enim non tan-  
 tum pro nobis subiit mortem; sed etiam ea superata re-  
 surrexit ex mortuis, & eo demonstravit, se DEVM nobis re-  
 conciliasse per mortem suam. Maximum hinc fidei nostræ  
 momentum *in veritate resurrectionis* Christi situm est. Hu-  
 jus autem veritatem, Judæi, gentiles, maleque sani hæretici  
 olim, hodieque Epicurei de grege porci inter Christianos et-  
 iam versantes, cum verpis incredulis negant & nefarie impu-  
 gnatum eunt. Quam ob causam Apostolus eorum mentis  
 insaniam atque stuporem tam graviter redarguit, & resurre-  
 ctionis certitudinem validis maxime argumentis demonstra-  
 vit. Itaque huic Judæorum & gentilium insanix testes ocu-  
 latis minimeque suspectos, horumque testimonia fide di-  
 gnissima opponimus, quorum fidem in dubium vocare, quid  
 aliud foret, quam omnem fidem historicam impugnare &  
 dubiam reddere, aut nihil credere velle. Theologi autem  
 saniores, qui fidem divinis literis habent, *decem CHRISTI*  
 ex mortuis resuscitati adparitiones, ex iisdem animadver-  
 tunt & probant, quas Lucas *ὀφθαλμοίς* vocat. *Prima* Ma-  
 riæ Magdalena soli ad sepulchrum relictæ contigit: *Alter*  
 facta est toti muliercularum piarum choro, quas velut Apo-  
 stolorum Apostolas sibi Dominus destinarat. *Tertia* con-  
 sternatum atque ob abnegationem Christi ante factam, Pe-  
 trum dolentem exhilaravit. Hanc *quarta* eaque Emauntica  
 duobus discipulis facta excepit; nempe Cleopha & alteri di-  
 scipulo *ἀνώνυμῳ*, qui de DOMINI resurrectione in itinere  
 confabulantes, CHRISTVM se compellantem primum non  
 aperte agnoverant; quia *ἐν ἑνὶ σώματι*, sub forma peregrini,  
 ut Marcus habet, adparuit. Unde haut dubie colligere  
 licet, glorificatione aliquam in externa quoque corporum

2. Cor. V. 24.  
 15. 18. 19.

1. Cor. XV.

Conf. August.  
 L. 3. de con-  
 sensu Evange.  
 listar. sub fi-  
 nem.  
 Marc. XVI. 6.  
 seqq.  
 Gerh. Harm.  
 p. 244.  
 Math. XXVIII,  
 8. 9. 10.  
 Luc. XXIV.

Marc. XVI. 12,

Joh. XX, 28.  
seqq.

Joh. XXI.

Gerh. Harm.  
P. 454.

Math. XXVIII,  
10. & 16.

1. Cor. XV, 6.

1. Cor. XV, 7.

1. Cor. XV, 6.

conf. Origenis

L. II, Contra

Celsum defen-

dentis resurre-

ctionem Chri-

sti ex adpari-

tionibus jam

recensitis.

Matth. c.

XXVII, 26.

seqq. & XXVIII,

11, seqq.

resurgentium effigie mutationem induci, per quam fiat, ut oculi humani adhuc corruptioni obnoxii, non ita promte, ut pridem, agnoscere notos ante sibi amicos valeant. *Quinta* congregatos suos discipulos, Thoma excepto, exhilaravit, & αὐτοψία atque contactu corporis recreavit, inque hac fide confirmavit. *Sexta* Thomas incredulus, octiduo post, proxima scilicet Dominica beatus fuit, qui fama visorum vestigiorum vulnere non contentus mensuræ in manibus digito & in latere explorationem quæsit. *Septima* inde consecuta est ad litus maris Tiberiadis in Galilæa, ubi mercatoris speciem præ se ferens, obsonia venum quæsit, & insolito miraculorum se patefecit σὺν ἀποστόλοις, de quo *Gerhardus* noster plura lectu digna habet. *Octava* in quodam monte Galilææ, quem ple-rique Thabor esse putant, contigit. Hanc omnium fuisse celeberrimam cum ob promissionem prius factam, digito Christi & Angelico notatam, tum ob panegyriū quingentorum fratrum, Theologi existimant. *Nona* ἡμετέρας Jacobum Apostolum in fide confirmavit sua. *Decima* denique post adscensionem CHRISTI, Paulum Apostolum recreavit. Judæorum autem perfidorum commenta, queis veritatem resurrectionis CHRISTI suppressere machinati sunt, *Mattheus*, qui aperte recenset historiam, simplici narratione rerum usus, simul eos scædi mendacii convicit. Mortuum Christi corpus linteis involutum, monumento novo & in petra exciso illatum fuerat, ingens saxum ad ostium monumenti advolutum: Milites custodiendo ei adpositi, qui Christum surrexisse principibus sacerdotibus nuntiarunt. Hi autem habito senatu, de communi sententia subornarunt corruptos pecunia milites, qui mentientes CHRISTVM a discipulis suis furto sublatum fuisse dicerent, cum noctu somno oppressi non advertissent. Quæ falsa relatio, quoniam

niam fraudi militibus esse poterat, utpote stationis suae desertoribus, si ad Praesidem Pilatum pervenisset, culpam se praestituros, perfidos sacerdotes promississe; milites paruisse, remque sic in vulgus dissipatam ad illam diem fuisse. Quoniam autem CHRISTVS, dum viveret, de futuro suo, tertia die post mortem in vitam reditu praedixerat, postulaverant a Pilato sacerdotum principes & Pharisei, ut sepulcro custodes adponantur usque ad tertium diem, ne discipuli ipsius, clanculum subrepto corpore, confingerent, vitam cum recepissent ac resurrexissent: atque sic credulitati plebis illuderent, & nefarium errorem in vulgus spargerent. Annuit postulato Iudaeorum Pilatus: itaque illi lapidem sepulcro positum obsignarunt additis custodibus. At vero die tertio editus est ingens terrae motus Christo reviviscente, & Angelus caelo lapsus, revoluta lapide, vacui sepulcri ostium patefecit. Quo viso, custodes metu consternati, prope exanimis corruerunt. Horum nonnulli in Urbem reversi ad principes Sacerdotum de iis rebus retulerunt; interea vero alia quoque sepulcra patuerunt, sanctorumque hominum corpora vita functa ac sepulta, postquam CHRISTVS revivixit, rediviva & ipsa Hierosolymis adparuerunt. Hæc *Matthæus*, DEO sic disponente, post resurrectionem CHRISTI commemorat. De quo nulla fraus præsumi potest, hæc cum confinxisse. Nam quo tempore ea scriberet, cum plures supererant portentorum illorum vel testes oculati, vel auditi. Quis igitur historiam hanc legens putet, Evangelistam & Apostolos, viros simplices, rudes, nullis fraudibus obnoxios, meticulosos etiam, & ad satillitum adventum, vel ut Petrus ad ancillæ vocem paullo ante, trepidantes, tantum ausos esse facinus, ut CHRISTI corpus furto subriperent, & deceptis custodibus toti Synedrio os sublinerent? Quis cre-

Chrys. Homil.  
90. & 91.

1. Cor. XV, 25.

Hiob. XIX, 25.  
26. 27.

Luth. Com-  
ment. in Genes.  
pag. ult.  
Matth. XXVII.

dat etiam tantum ipsis superfuisse otii, ut lapidem ingentem sepulcro ad volutum amovere, & corpus Christi, dum prope erant semisomni satellites, quos vel levisimum murmur excitare poterat, Clam auferre voluerint? Sane nemo gratis facile mentitur, aut nullo proposito operæ pretio, fraudem universo hominum generi, sibi que ipsis fructuere ausit, vitamque pio mendacio & vana religione profundere velit. Certe de Apostolis, Viris innocentibus & ab omni dolo alienis tam periculosum flagitium præsumere, temerarium foret. Legi in hanc rem *S. Chrysostomus* meretur, qui improbam stoliditatem occæcatorum Judæorum & mendacia de discipulis CHRISTI conficta perstringit & refutat. Omissis igitur aliis frivolis empæctarum nugis aut quæstionibus curiosis, quæ a profanis scepticis & hodie moveri solent; cum fidelibus veteris Ecclesiæ doctoribus, hoc Paschatis tempore *finem & fructus* resurrectionis Christi, contemplabimur, officium nostrum simul attendentes. Ad *finem* autem & *fructus* Resurrectionis Christi referimus, quod ea nostræ resurrectionis futuræ & causâ & consecratrix sit. Cujus virtutem sensere sancti, ut Jobus & Patriarchæ. Josephus ex hac fide voluit in terra Canaan requiescere, ut in eorum numero esset, qui resuscitandi erant cum Christo, & ut credit *Lutherus*, eum, una cum aliis sanctis, quorum mentio extat apud Matthæum, rediisse in vitam. Visus ille hinc est, fidem suam in CHRISTVM testificari voluisse. Ideo ossa sua deferri in terram Canaan jussit.

Quamquam vero resurrectio CHRISTI *absolute*, considerata, prout scilicet præscindit a salutari, & non salutari, non sit effectus meritorum Christi; cum resurrectio Ejus absolute accepta non sit fructus meriti Christi. Quia omnes etiam dam-

damnati aliquando resurrecturi sunt, sed ad iudicium & æternos cruciatus sustinendos; Quod nimirum CHRISTVM fide amplecti detrectarint: est tamen RESVRRECTIO CHRISTI causa resurrectionis nostræ ad vitam æternam, qua fideles & electi potiuntur. Ideo enim CHRISTVS se resurrectionem, h. e. resurrectionis fidelium ad vitam æternam causam se esse dixit. Deinde resurrectio CHRISTI confirmat pacem nostram cum DEO per ipsum partam. Si enim Christus non resurrexisset, adhuc in peccatis perditum atque sub ira DEI essemus. At resurrectio spem vitæ æternæ confirmat. Breviter hosce fructus Chrysostomus recenset: *Exoptatum & salutare festum, ait, dies resurrectionis Domini nostri Iesu CHRISTI, pacis fundamentum, reconciliationis occasio, bellorum sublatio, mortis destructio, diaboli elades.* Clarius adhuc Cyrillus Hierosolymitanus ante eum, de his fructibus olim meditatus est: *Radix (scribit) totius bonæ operationis, est spes resurrectionis: Expectatio enim retributionis animam ad actionem bonam corroborat: operarius enim promptus est ad perferendos labores, si præmium laborum providerit; qui vero sine præmio laborant, & anima & corpus illis concidit. Miles expectans præmia, in prælia alacris est. Nemo vero aegre indifcreto militaverit Regi, qui non soleat brabea laborum præbere, neque pro eo facile mortem adierit. Sic etiam omnis anima credens resurrectionem, sibi merito parcat; non credens autem resurrectionem, perditioni exponitur. Qui credit corpus manere in resurrectionem, parcat illi tanquam vesti, neque eam polluit scortationibus; qui vere non credit resurrectionem, exponit se ipsum libidini, ac veluti alieno abutitur corpore suo.*

Horum ergo fructuum spiritualium animæ, qui participes fieri gestiunt, eos e morte peccatorum spirituali quoque resurgere oportet. Quod Apostolus a Christianis requirit, modumque edocet, ut in fide fieri debeat, fructusque

v. D. Hunnii &  
D. Balduini  
Comment. in  
1. Cor. XV.

Joh. XI, 25. XX  
19. XIV, 27.  
Philipp. IV, 7.  
Rom. IV, 24.  
1. Cor. XV, 17.

Chrys. Homil.  
2. de Pasch.  
quæ est 85.  
tom. 5. fol. 587.

Cyrril. Cate-  
ches. illumi-  
nat. 18.

Rom. VI.  
Col. II, 12, 13.  
& c. III, 1, seqq.

ctusque pariat salutare. De quibus devoti præcones verbi  
divini e sacris rostris nos hisce instantibus feriis plura edoce-  
bunt : in nostro autem templo Paulino orator ingenio , in-  
dustria & eruditione insignis, Vir Juvenis, *Johannes Georgius  
Schnell, Lindaviensis*, de *antiquis Christianorum ritibus circa Pa-  
schatis festum olim usitatis*, cras DEO dante, hora XII. perora-  
turus, itidem attentis & benevolis auditoribus ansam de his  
sacris celebrandis, veterum Christianorum exemplis pie me-  
ditandi suggeret ansam.

Itaque VOS ILLVSTRISSIMI IMPE-  
RII RVSSICI PRINCIPES, DOMINI  
DOLGORVCKII, qui studiorum gratia in hac no-  
stra Academia degitis, *VOSQVE UTRIUS-  
QVE REIPUBLICÆ LIPSIENSIS  
PROCERES AMPLISSIMI, CUM  
NOBILISSIMA STUDIOSORUM VIRO-  
RUM JUVENUM CONCIONE*, quo par est,  
humanitate rogo, dignemini *crastini diei hora XII. e Sacello  
Nicolaitano in Templum Paulinum*, nobis comites ire, atque  
ut moris est, nostris sacris interesse ac Oratorem nostrum pia  
verba in honorem JESV CHRISTI, Victoris mortis &  
infernī facturum, benevole auscultare. Quam benevolen-  
tiam demereri studiis nostris nunquam intermitteremus.

P. P. Lipsiæ d. XI. April. An. Christi  
M D C C X V I.

LITERIS SCHEDIANIS.